

supervento infortunio prodierat.) Primò etenim casu, quod scilicet deterioratio casualiter post contractum contigisset, tunc ad favorem promissoris respondendum esset, ut super-ventum periculum esse deberet ipsius creditoris tanquam Domini, eodem modo quo suum esset augmentum vel com- modum majoris idoneitatis, & perseverantiae in contra- ctu, atque eodem modo, quo ejusdem creditoris dam- no cedebat lucrum fortis, quod debitor juxta naturam hu- jus contractus fecisset si contigisset mors illius, sub cujus vitæ periculo societas inita fuit, secus autem in altero ca- su in quo tunc insufficienter jam præxisteret, quoniam tunc ista promissio de emendo clarum præferre videtur approbationem, & assecurationem, ob quam creditor in- certus de statu debitoris ad contrahendum cum eo inductus fuit; Ac propterea saltem videretur intrare actio de dolo juxta ea quæ sub tit. de credito pluries, & alibi babentur su- per obligatione cedentis circa idoneitatem, & exigibilita- tem nominis cessi, cum similibus; Ideoque desilio pendere videbatur ex facto potius quam ex jure. Cumque illud in- certum esset idcirco iudicium desuper efformare non potui.

ROMANA
SEU ALBANEN VINEARUM
PRO MAGDALENA ESCHINARDA DE
VITELLESCHIS.
CUM FRANCISCO ET ALIIS DE MOLARIA.

Casus decisus per Rotam pro Magdalena.

De actione competente emptori adversus venditorem pro remotione molestiarum passarum, an competi- tur ubi non accedat illa denunciatio, quæ de jure requiritur pro actione evictionis.

Et aliqua ad ejusdem evictionis materiam, an scilicet & quando ad eam teneatur ille, qui emendo rem pro persona nominanda, alterum nominavit, cum aliqua alteratione pretii, & pastorum.

SUMMARIUM.

- 1 Adi series.
- 2 Denunciatio non est necessaria ubi constat de justitia vicinientis.
- 3 Non est necessaria denunciatio ad effectum removendi molestias, & tradendi rem liberam, & de ratione.
- 4 Quando etiam isto casu omisso denunciatio præjudicet.
- 5 Re non integra non tenetur venditor removere molestias.
- 6 Quando denunciatio etiam post sententiam dicatur re integra.
- 7 De stylo Signaturee rescribendi de appellatione etiam in causis executivis.
- 8 De alio casu controverso, & qualis esset punctus.
- 9 Ad evictionem non agit ille qui sciat onus vel jus alterius.
- 10 Venditor universitatis non tenetur de evictione.
- 11 An & quando ille qui emit pro persona nominanda, & postea nominet, teneatur de evictione.
- 12 De eodem, & quando etiam si venditor, non teneatur.

DISC. L.

DE anno 1618. Petrus Eschinardus emit vineas à Gregorio Paravicino, cum obligatione Octavii Garimberti; Cumque de anno 1667. Savus Porcarius pro censu prædictum Gregorium imposito usque ab anno 1612. tamquam donatarius Julæ Porcarie ad eas obtinisset imitti in salviano, hinc Magdalena dicti Petri mediata succeditrix, quæ immisionem passa fuit, obtinuit ab A.C. mandatum pro liberatione à molestiis contra Molarios mediatos hæredes dicti Odavii, commissaque per Signaturam causa in Rota cor. V. Comitæ cum clausula sequi exequendum, atque dato dubio ex ejusdem rescripti ventre manante, an mandatum esset exequendum sub die 1. Junii 1672. affirmativa proditæ resolutione confirmata 17. Januarii 1673.

In disputationibus autem desuper habitis, cum nulla caderet questio super iudicii extremis, dum obligatio Octavii erit clara, & non negabatur hæreditaria qualitas ex parte reorum, hinc restringebatur punctus ad duas exceptiones in simul connexas, quarum una venit in consequentiam alterius; Primò scilicet quod nulla accesserit denunciatio,

sine qua emptori non competit actio evictionis, Et secundo super ejusdem evictionis injustitia negando in vicinente pertinentiam census jure donationis sine fideicommissi, atque super hac secunda exceptione scribentes pro reis magis infestebat, nimiumque de diffundebat.

Scribens autem pro adrice dicebam, etiam in sensu veritatis, qualem Rota agnovit, quod utraque inspectio extranea esset à casu quæstionis, quodque propterea omnia quæ desuper late deducebantur, inanem laborem, inanemque chartarum reptationem continerent, ut frequenter contingit; Tunc enim intrat inspectio super iustitia evictionis, quando emptor qui ad eam jam passam agit, ita vult evitare defectum omniæ denunciationis, ob limitationem traditam regulæ illius necessitatem exigenti, ratione iustitiæ claræ, quam auctor laudatus vel necessarius defensor si fuisset interpellatus, impedire non potuisset, undè eadem de hoc excipienti replicari solet dicas nunc quod didurus fuisses, si re integra denunciatio facta esset, ut advertitur sub tit. de feud. disc. 44. & sub tit. de Regal. disc. 64. & de jurisf. disc. 60. & alibi sæpius.

Id autem extraneum erat à casu quæstionis, quoniam juxta prædictum formularium, per quod cessat major pars illarum quæstionum, quæ in illa evictionis materia cadunt, tam venditor, quam fideiussor, qui equè principaliter, & insolidum tamquam principalis correat esse obligavit, non solum promiserunt de evictione, sed etiam præstare, & manutene rem liberam, ac propterea liberare emptorem ob omnibus molestiis, illasque in se assumere, atque in vim istius posterioris obligationis agebatur, potissime dum molestiæ verè, & propriè importabant evictionem formalem per abdicationem domini, & possessionis, cum ageretur de remedio Salviani, quod hunc effectum non operatur ut pluries advertitur, ideòque nil refert an res sit integra, nec ne, & an devenit fuerit ad executionem intentati remedii, dum semper agi dicitur de molestiis, pro quarum remotione & liberatione, atque pro mantentione rei liberæ, prout narratum & promissum fuit, agit, ad quem proinde effectum neutra cadit inspectio, quoniam etiam re non integra emptor petere potest liberationem ab illis molestiis quas non solum in verbis, ut contingit ante condemnationem, & executionem, sed etiam factis patitur, juxta auctoritates in eadem decisione relatas, quæ deducebantur frustra repetendas utpotè super juris principio certo, atque advertitur etiam d. disc. 44. de feud. in fine.

Intrare siquidem dicebam clarum, ac inevitabile dilemma, quod scilicet, Aut ipsi rei conventi credebant quod ille qui molestias intererat, foveret non jus; Aut non; Si id credebant, in comperio res erat, dum quamvis ageretur de formalitè evictione non intrabat defectus denunciationis, ob supradictam limitationem regulæ resultantem à iustitia evictionis; Et si non credebant, ita eis facile erat, assumendo in se litem & molestias ab istis eximere emptorem juxta formam obligationis.

Duplicem verò effectum ipsi emptori præjudicalem observabam ab omnia denunciazione etiam in casu molestiarum, quando illæ essent injustæ, atque removeri potuissent per defenforem necessariam, resultare posse; Primò nempe circa jam factas expensas, ac damna & interesse passa ob non perceptionem fructuum, quoniam auctor laudatus, seu defensor necessarius, suscipiendo in se litem in statu, & terminis in quo illa sit de tempore quo evocatur, atque molestias removendo, redè emptori obicere potest, quod sibi imputet cur ab initio eum non evocaverit, quoniam fecisset idem quod evocatus fecit, ac propterea dicendum videretur, ut damna, & interesse in expensis, & fructibus referri possent ad propriam culpam, in cuius casu obligatio vel actio evictionis non intrat.

Et secundo quando dicta res perempta esset, sive alias deteriorata, vel difficultis recuperationis, penes eum, qui de facto avocasset etiam in sola possessione, quoniam ubi ex parte auctoris laudati doceretur de injustitia molestiarum, non tenebatur ipse ad assumendum in se molestias irreparabiles, atque in ea parte, in qua res non sit amplius integra, ex eadem ratione de qua supra in expensis & damnis, quod scilicet emptor propriæ culpæ id referre debeat, dum venditor dicere potest idem quod supra, quod scilicet impedisset si ab initio, & re integra evocatus esset; Ut habetur apud Merlin. dec. 760. n. 6. cum seqq.

Neutrum verò in hac facti specie dici posse advertèbà ob illam facti circumstantiam, quod scilicet quamvis Magdalena molestata utpotè mediata heres vel succeditrix emptoris, tanquam signaria quales essent ejus necessarii defensores, tenentiam

tenentiam immisionis in salviano, nulla facta denunciazione passa esset; Attamen illam fecit re integra priusquam scilicet causa discuteretur in Signatura iustitiæ; ex cujus rescripto denegativo appellationis suspensivæ cum solita clausula sine præjudicio executionis in vim Aegidiana ad executionem devenit, ideòque auctor laudatus sibi executionem imputare debet, quoniam si in eo statu assumptis defensionem, atque deduxisset ea ex quibus injustitia molestiarum præcedebatur, id impedisset, quoniam etiam in executivis, & privilegiatis suspensivam appellationem regulari ter excludentibus, de illa ratione injustitiæ vel saltem de clausula translativa ratione turbiditatis responderi solet ex infinnatis disc. 37. & seq. de jud. & disc. 30. & 31. in rel. Cur. sed revera videatur quod subsisteret jus molestiarum.

In hoc item proposito evictionis præstante per venditorem, five evictionis quanti minoris pro eadem Magdalena conversam personam reo convento agente, aliam disputatam quæstionem in Rota coram Alberгато cum Aloyfio Benedello in alta Romana seu Albanen. honor. Siquidem eformato concursu creditorum Petri ejusdem Magdalene fratris atque expositis venalibus domibus & vineis per eum in Civitate, & territorio Albani possessis, illarum emptorem pro scitis octo millibus circiter fecit dicta Magdalena pro persona nominanda, dei neque ad quatuor circiter annos nominavit præfatum Aloyfium pro diverso tamen, ac majori pretio scutor. 12. m. circiter, Cumquæ tradu temporis emptor, & possessor aliquas molestias pateretur, non ex facto Magdalena, sed ejus auctorem, five ex eorum non jure in quibusdam aquis que evictæ erant ab illis de Plattis, Idcirco introducta causa in Rota coram prædicto Alberгато, datiq; dubio generali an & de cujus bono jure consisteret; Stante quod munita erant controversiarum capita, hinc in disputatione habita 18. Junii 1674. In iis quæ jus concernunt, solus punctus erat ille, an Magdalena teneretur de evictione five ad quanti minoris, cum omnes alii puncti essent potius facti quam juris, ideòque pro Curia stylo causæ Patrono potius incumbere.

Quinimò etiam potius facti quam juris dicendus erat punctus prædictus super verbis scilicet apocæ desuper confecta, ac etiam subsequenti instrumenti, nec non super fide adhibenda testibus hinc inde deductis super circumstantia restrictionis evictionis ad factum proprium, ut præcedebatur per Magdalena, negabatur autem per Aloyfium, ac etiam fuerit emptoris scientia illarum pretensionum, ex quibus postmodum molestia proveniebant, adeòque intraret termini text. in l. si fundi sciens C. de act. empt. de quibus d. 300. ff. de rec. 453. & 457. p. 9. & d. de 44. & disc. 32. de feud. & passim.

Potissime verò quoniam ista erat quedam emptio universitatis bonorum, que patrimonii debitoris in eo loco, ac propterea cum eadem proportione, cum qua venditor non teneretur de evictione erga primum emptorem nisi in expressis, & ad speciem deductis, ita non tenetur ipse primus emptor, qui venditoris vel cedentis personam gerat erga secundum juxta deducta supra disc. 26. Ac etiam proximè ad rem sub tit. de feud. disc. 32. & alibi; Ideòque totum pendebat ex facto, super cuius justificatione major, penecque tota verfabatur controversia.

Et quoniam in præcedenti instantia coram A.C. five alio iudice, in qua non scripseram, per alios defensores ejusdem Magdalena, quæ erat ex genere illorum infirmorum, qui de facili mutant medicos, ad excludendam obligationem evictionis, vel defensionis insiltebat in conclusione, de qua disc. 26. de locat. & alibi pluries, quod emptor pro persona nominanda post factam nominationem ad aliquid non teneatur nisi ad ea, quæ ex proprio facto, vel culpa proveniant, eo quia dicitur nudum organum, vel instrumentum ipseque nominatus censendus esse primus, ac immediatus emptor perinde, ac si cum ipso directè, & immediatè contractus initus esset, hinc Scribentes pro altera parte sustinebant in negotiatione applicationis dictæ conclusionis, late probando, quod non verèferentur in terminis verè nominationis, per quam primus acquirens ita gereret figuram simplicis organi, vel instrumenti; Tum ob lapsum temporis notabilis annorum quatuor, & ultra dum dicta conclusio intrat, quando ad breve tempus id agit intra annum, & sincerè, ac citrà fraudem sequatur nominatio, ut d. disc. 26. de locat. & alibi; Tum fortissimè ob notabilem alterationem pretii ad commodum nominantis, ob quæ circumstantias probantes, quod venditoris ex integro potius, quam simplicis nominantis, Magdalena personam gereret. Dec. cons. 543. & alii plene relati per Salgad. in l. ab. p. 2. c. 13. per tot. cum alii disc. disc. 26. de locat.

Card. de Luca Lib. VII.

Scribens itaque pro venditrice rea conventa, non negabam quod istantè alteratione pretii, aliorumque pactorum revera dici non posset, quod verèferemur in casu verè nominationis, cujus terminis attentis nominator nullam facere potest prioris contractus alterationem ex præmissa ratione, quod ipse habetur tanquam nudum organum, five instrumentum; sed dicebam istam inspectionem cadere ad alios effectus, de quibus dicto disc. 26. de locat. & apud Salgad. ubi supra & alios, & non autem ad illos præsentis controversiæ, quoniam ubi etiam censenda esset vera, & prima venditrix, adhuc tamen si protestata esset nolle teneri, nisi de facto, & dato proprio, idem erit effectus, nil obstante notabili augmento pretii; Tum quia, ut in facto supponebatur, referri poterat ad fructus illius anni, jam maturus, nec non melioramenta; Tum etiam, quia si ex propria industria hoc lucrum sibi paravit, sibi imputare debet emptor, cur tali restrictioni evictionis consentium præstitit, Ideòque tunc ab eo illud præcandi non potest, nisi remedium rescissorium, quatenus ita enormis læsio intraret.

PARMEN. PERMUTATIONIS
PRO FRATRIBUS DE PONTULIS
CUM ANTONIO MARIA THOMATO.

Responsum extra Curiam.

An, & quando emptori, vel respectivè venditori, si-ve permutanti petenti ab altero contrahente pretium, vel rem, obstat exceptio non traditionis, vel non implementi, si defectus proveniat à casu, vel à facto.

SUMMARIUM.

- 1 Adi series.
- 2 Periculum est emptoris post perfectum contractum.
- 3 Impedimenta non excusant, nisi doceatur de diligentia.
- 4 Non intrat hæc obligatio, ubi certum sit eas non esse profuturas.
- 5 Quod causarum decisiones pendeant magis ex facto, quam ex jure.
- 6 Substantia voluntatis, potius quam formalitas verborum attendi debet.
- 7 Quod alicui indecorum sit habitare domum conductitiam.
- 8 Qualis in facti specie esset substantia voluntatis.
- 9 Ubi forma respicit certum effectum, iste attendi debet.
- 10 An, & quando ille, qui sciat, vel prævidere possit casum, eo contingente, habeat actionem, vel exceptionem.

DISC. LI.

INITA inter fratres de Pontulis, & Antonium Mariam Thomatum permutatione, quarundam domorum sitarum in Civitate Parmæ sub legs, ut non teneretur Pontulii dimittere domum propriam, nisi postquam obtinuerint alteram vacuum, & expeditam, quam quidem conductor inhabitabat; Cum finita conductioe, atque conductore domum vacuum dimittere, de mandato Ducis, ejus Medicus domum occupasset, præfatus autem Thomatus peteret dimissionem domus à Pontulis, hinc ex istorum parte requisitus sui ad scribendum pro eis in causa jam introducta in foro Episcopali, five ad respondendum motivis, quæ pro stylo per Iudicem edita erant.

In motivis autem, fundatè quidem, ac elaboratè, adicebatur, quod implementum ex parte Thomati promissum, jam dici poterat sequutum, dum conductor domum vacuum, & expeditam dimiserat, adeòque ex parte talis censenda esset de jure, quamvis de facto non esset, utpotè ab alio occupata ex facto, vel mandato Supremi Principis, quod recensetur inter casus fortuitos, de quibus Venditor, vel permutator non tenetur post jam perfectum contractum initum super specie, cum solum difficultas intrat in iis, quæ sunt in genere, five consistunt in pondere, numero, vel mensura ex pluries infinnatis hoc tit.

Cumque ex parte reorum conventorum oppositum esset de conclusione, de qua Gregor. dec. 501. n. 1. Burat. dec. 110. n. 4. bene dec. 286. n. 13. & 14. p. 11. rec. & sæpius, quod scilicet impedimenta, quæ à facto hominis proveniunt, impedito non suffragantur ad illum excusandum, ubi præceterim non

N 4 sit

toris, interim quoque defuncti, orta est questio, an dictum pretium solvendum esset, necne, atque desuper ex parte heredum venditoris consultus.

Respondi casum pro mea noticia videri novum, quod scilicet nemo ad hanc speciem descendat; quoniam licet plerique Moderni (cum antiquioribus ista species contractus ignota esset) tradunt de huiusmodi contractu a tempore a mortuo ex relatis me disc. 36. de usur. At tamen percipiunt diversum punctum validitatis, vel invaliditatis, non autem istum, an scilicet mors ante purificationem conditionem liberet debitorem, vel e converso aperiat creditori actionem, adeoque tamquam in casu non deciso dixi procedendum esse cum regulis generalibus, vel a simili ex deductis disc. 35. de iudic. & in opusculo styli, ac alibi.

Dicebam itaque cum generalitatibus procedendo, decisionem pendere a puncto, an tempus nuptiarum fiat pro traditione, sub qua stipulatio solvendi in substantia concepta esset, adeo ut interim esset imperfecta, suam expectando perfectionem a conditionis purificatione, vel e converso fiat pro dilatione, adeo ut ab initio perfecta esset obligatio, dilata vero solum esset solutio, ut priori casu mortis, quae certificat conditionis purificationem esse impossibilem, evanescere faciat obligationem, secus autem in posteriori in quo mors aequivalet purificationi conditionis ad text. in Leonensis 46. §. Si ita stipulatus fuero. de verb. obl. ubi Bart. n. 2. plura expendit iura quae videntur contraria, eaque ita conciliat, & est distinctio recepta de qua disc. 108. de Peud. nu. 30. & seqq. & disc. 3. de Legat. n. 5. & seqq. ubi concordantes, & alibi, adeo ut quoad ea quae juris sunt in abstracto nulla videatur cadere questio, quae ita remanet facti, & applicationis, an in una, vel in altera distinctionis parte verlemur.

Ad id autem dignoscendum nostri Majores cum consuetudine vitio procedendi in sola lite legum, vel cum formalitate verborum, vim constituere solent an processum fuerit per conditiones, & verba donantia conditionem, vel respective executionem eodem modo quo facere solent in altera questione de qua disc. 154. de iudic. & disc. 73. de Testam. an processum sit per viam conditionis, vel per viam modi, quod etiam habetur in materia donationis post mortem donatoris effectum fortiter: an scilicet mors percipiat substantiam, vel solum executionem, ut in sua sede sub tit. de Donat. & alibi pluries.

Verum, ut locis citatis advertitur, id continet consuetas iuristarum simplicitates, quoniam cum agatur de questione voluntatis, & sic potius facti quam juris, substantia veritatis, ex facti circumstantiis delendum, potius attendenda venit, quamvis verba in cortice, & attentata grammaticali significatione contrarium fuisse videantur, ut advertitur praesertim a disc. 154. de iudic. n. 12. disc. 103. de cred. in fine, & generaliter a disc. 73. de Testam.

Potissimum vero ubi agatur de huiusmodi conventionibus, quae in lingua materna cum brevibus apocis privatis fiant inter negotiatores, vel nobiles idioras juris non professores absque Notariorum formulariis, vel Advocatorum consiliis, & cautelis cum tunc magis de bono & aequo procedendum sit inspecta substantia verisimilis voluntatis.

Applicando autem ad rem, dicebam decisionem pendere quantitate pretii in contractu deducti, an scilicet illud esset nimium excessivum, adeo ut alias redoleret usuram vel enormissimam laesionem quae dolum, & turpem deceptionem redoleat, qualis erat casus de quo disc. 36. de Usur. Vel e converso esset pretium valori proportionatum cum illo moderato excessu, qui pro communi usu adesse solet ratione dilationis praesertim incertae, quae ad multos annos protrahi possit; Ut priori casu contractus habeat potius speciem sponsonis, & alicui, sive ut vulgo dicitur Loto, adeo ut illud magnum lucrum a purificatione conditionis speratum compensatum remaneat a periculo amittendi totum, quatenus conditio non purificetur, & per consequens importat conditionem; Secus autem in posteriori, ex regula quod ex pretii quantitate deficiunt contrahentium voluntas, & quid in contractu deductum sit.

Ac propterea (applicando ad rem) cum huiusmodi equinivium affirmabile pro moribus praesertim regionis esse soleant, idcirco pretium conventum videtur non continere d. magnum excessum, dum magnus requiritur non solum ob periculum mortis emptoris, cum qua cessat spes purificationis conditionis, sed etiam quia in eisdem emptoris, ac respective debitoris facultate repositum est penes illico, & ad breve tempus se liberare, atque conditionis purificationem reddere impossibilem, suscipiendo ordines la-

eros, igitur debet esse talis excessus qui congruus, & adequatus illud periculum compenset, quod utique in hac facti specie non videbatur dici posse.

Considerandum quoque si ante morte violenta an adaptari possent, ea quae habentur disc. 69. de Pens. & disc. 118. de Regal. nu. 7. & seqq. quasi quod culpa debitoris sequuta esset mors, atque sublati spes purificationis conditionis nuptiarum, Sed reflectendo ad veritatem non videbatur motivum considerabile, dum ea quae habentur disc. 69. de Pens. illi immituntur fundamenta, quod mors per manus iustitiae dicitur voluntaria positive culpa, sed ubi damnum, vel mors proveniant ab inimicis tunc nimium raro, penesque unquam intrat obligatio refectionis ex deductis eod. disc. 118. de Regal.

Ac propterea neglecto isto motivo ex altero adaequationis pretii, atque cessationis magni excessus pro heredibus venditoris censui respondendum, ut scilicet tempus nuptiarum dilationis potius quam conditionis gratia adiectum esset.

ROMANA LESIONIS PRO LERCARIIS. CUM JOSEPHO BAVA

Casus decisus per Rotam pro Bava.

An in venditione iudiciali sub hasta detur enormis, vel enormissima laesio; & quaeritur deur, an sufficiat in sexta, vel debeat esse ultra dimidium, & de illius probatione.

SUMMARIUM.

- 1 Ad illi series cum resolutionibus.
2 De nullitatibus solent agere Procuratores.
3 De probatione laesionis.
4 An hoc remedium laesionis detur contra tertium.
5 De eodem & quaeritur deur in casu enormissima.
6 Qualis laesio constituit enormissimam.
7 De eodem in Urbe ob statum.
8 De questione an in venditione subhasta sufficiat sexta, vel requiratur etiam ultra dimidium.
9 De alia questione an in venditione subhasta detur hoc remedium.
10 Quales auctoritates non videntur attendi.
11 Examinantur decisiones Rotae, ut non sufficiat sexta.
12 De eodem de quo n. 10. circa auctoritates DD.
13 De auctoritatibus ubi sufficiat sexta.
14 De propositione quod factum iudicis reputatur factum Parisi.
15 De differentiis inter principalem, & iudicem.
16 De cautione praestanda per creditores recipientes praetium.
17 De differentiis inter procuratorem voluntarium, & administratorem legalem.
18 Qualis differentia sit inter creditorem illicitantem, & tertium.
19 Alia differentia in casu quod subhasta detegatur iusta.
20 De puncto restitutionis fructuum in casu enormissimae laesionis.
21 Ad quid prodest obligatio quam emptor faciat restituendi bona licitata.
22 Concluditur quomodo ista materia debeat regulari.

D I S C. L I V.

Pro executione mandati obtenti per Desiderium Oddum, contra Joannem Baptistam Bighezam, subhasta fuerunt duae domus, & decem granaria deliberata eidem Desiderio majori oblato pro tumma sibi debita, atque pro eadem summa data fuerunt in solutum Josepho Bavae creditor, contra quem idem Bigheza sive Lercarij ejus heredes iudicium instituerunt reintegrationis ex capite nullitatis subhastationis, vel ex alio enormissimae laesionis coram Iudice Basilicae Vaticanae, a quo prodit sententia rei conventi absolutoria; Introduciturque causa in Rota coram Taja sub die 27. Junii 1672. prodit resolutio reis conventis pariter favorabilis super exclusionem nullitatis subhastationis, in repropotione vero sub die 1674. cum tam in facto quam in jure laesio nimium stringeretur ex parte Actorum, reus autem repeteret obligationem quaerendo initio iudicii supponebatur etiam facta restituenda bona refectionis pretio, & aliquibus melioramentis, Rota huic obligationi aequiescente, absque alia discussione praesentum fuit in de-

in decisis, sed cum Actores obligationem recusarent, ob notabile interesse fructuum medii temporis, & expensarum, idcirco cautae adhuc pendet; Atque in istis disputationibus duae erant inspectiones, una scilicet nullitatis subhastationis, & deliberationis ratione ordinis male servati vel excessus; Et altera laesionis.

In prima modice fuerunt mae partes, quoniam positus defectibus, qui per actores supponebantur, planum erat de jure ut resolutae nullitas, adeo ut nulla in puncto juris caderet dubitatio, quae tota erat facti; an adesset, nec ne talis defectus negatus ex parte Rei, cui Iudices adhaeserunt, ideoque in hoc pro Curiae stylo versaretur potius opera causa Patroni.

Alter inspectio laesionis in alias duas etiam subdividitur, unam scilicet facti super iusto valore, ex quo pendebat, an laesio adesset necne; Et altera juris, super effectu ex qualitate probatae laesionis resulantibus.

Prior pars quoque facti potius erat; Quamvis etenim quamplures iuris propositiones cadent, de quibus supra disc. 40. de iudicis, & alibi, super modo scilicet aestimandi, ac fide testibus vel peritis adhibenda, nec non super deductionibus a pretio faciendis ob circumstantias minuentes, illam praesertim in huiusmodi venditionibus iudicialibus consuetas solitam, ut emptori remaneat bene consultum in casu evidenti, vel molestiarum, cum similibus, ideoque per Scribentes hinc inde pro consueto moderno abusu confiterentur penes volumina, cum copiosis allegationum cumulatis super propositionibus hodie praesupponendis concordato facto; Nihilominus erroneum vel superfluum videtur desuper deducta recensere, cum revera non sit materia capax regularum generalium, quae pariter omni omnibus casibus applicari valeant cum decisio pendeat a singularum casuum qualitate, & circumstantiis; Et per consequens remanet potius questio facti & applicationis quam juris.

Prout, quamvis initio aliquoties adum esset de puncto supra disc. 25. an remedium rescissorium ex capite enormis laesionis ad simplices terminos text. in l. 2. C. de rescind. vend. fit exercibile contra tertium; At tamen opus non fuit in eo immorari; Tum quia reus conventus id non opponerat, sed bonorum restitutionem offerbat ut supra, & quae obligatio potissima causa resolutionum inhærendo alias firmatis in consimili casu dec. 112. p. 10. rec.

Tum etiam quia actores insisterent principaliter super qualitate laesionis enormissimae redolentis dolum pro effectu fructuum medii temporis, in ista specie venientium, non autem in altera simplici laesionis ex infirmitate etiam supra disc. 44. eaque posita non dubitatur de actionibus exercitibus contra tertium ex eadem ratione, ob quam venient fructus, quod scilicet ista species laesionis ob dolum, quem complicare dicitur, producit nullitatem, cuius operatio est, ut dominium nunquam censetur abdicatum ab eo, qui subhastationem passus est, vel respective venditionem facit, & per consequens rem suam a quocumque possessore vendicat iure domini; Illa concurrente differentia inter principalem emptorem lege male fidei a dolo praesumpto resulantem veniant fructus ab initio, contra istum vero non nisi a die mortis litis seu quod alias male fidei possessor effectus fuerit.

Major igitur penes tota juris questio fuit super qualitate laesionis an dicenda esset enormissima; Idque principaliter pendebat a puncto regulationis simplici laesionis enormis, an in hac venditione iudiciali subhasta esse deberet eodem modo quo in venditione conventionali iuxta terminos textus in l. 2. Cod. de rescind. vendit. & cap. 2. & 3. de empt. & vend. cum excessu ultra dimidium, ut propterea, iuxta opinionem enunciatam supra disc. 27. cum qua hodie in Curia proceditur, ad constituendam enormissimam requiritur excessus ultra bessem, vel potius pro enormi sufficiat ultra sextam ut ita cum sua proportionem arithmetica inferri possit ad enormissimam ex aliquo majori excessu notabili, quamvis non sit in besse vel in dimidio.

Ut etiam pluries in facti contingentia dicere consuevi in iis casibus, in quibus intraret statutum Urbis enunciationis supra disc. 28. & in aliis, per quod ad enormem sufficit tertia, quoniam ita pro enormissima desiderandus non videtur excessus in besse, qui sufficit ad terminos juris communis, quibus attentis pro enormi requiritur dimidium, sed attendi debet eadem proportio cum illa arithmetica regula, quae vulgo del tre dicitur.

In hoc igitur puncto, an scilicet venditio subhasta differat, necne a voluntaria ut propterea requiratur etiam excessus in dimidio, vel potius sufficiat in sexta; Dicebant Scribentes pro reo, quibus hucusque Rota adhaesit, non tamen absque aliquorum praesertim Antonii Pontensis dissentio, quod licet DD. Regnicolae hanc retineant opinionem, ut in sexta sufficiat laesio, ut patet ex Franch. dec. 120. & 224. Ubi add. Aponte de potestate Proreg. tit. de regal. impo. §. 7. num. 8. & seq. cum aliis apud Bich. dec. 609. & disc. 40. de iudic. at tamen Rota inconcussè contrariam sequitur opinionem ab antiquo firmatam apud Serap. dec. 1478. cum qua consuevit pertransire, adeo ut quamvis de anno 1654. apud Bic. dicta dec. 609. (quia forte doctus Extensor istum quoque haberet sentium) in praedictam opinionem inclinaret; At tamen postea declaratum fuit illam non esse decisionem Tribunalis, sed potius discursum extensori, ut praesertim habetur dec. 270. part. 14. recent. atque a me, licet obiter, insequendo sententiam Rotae insinuatam supra disc. 16. & 28. & alibi; Et sic quod illa esset opinio particularis derivata potius ex illorum Tribunalium stylo in Rota, & curia non attendendo ubi procedendum esset cum dispositione juris communis, tam civilis in d. l. 2. C. de rescind. vend. quam fortius Canonici in d. c. 2. & 3. de empt. & vendit.

His tamen non obstantibus etiam cum sensu veritatis iam de istarum disputationum tempore explicato d. disc. 40. de iud. n. 65. & seq. contrarium etiam in puncto juris communis verius esse dicebam, quodque propterea dicta opinio Regnicolarum non ex particulari stylo, sed a juris communis dispositione vel ratione, atque a sensu antiquorum Interpretum, & primorum magistrorum proveniret.

Priusquam vero ad huius assumpti probationem deveniretur, instebam super aequivoce, a quo originata fuit haec opinio, cum qua Rota & Curia, hucusque processit.

Siquidem apud DD. questio est in genere an venditio quoque iudiciali auctoritate ad hastam publicam fiat subiectae, necne huic rescissorio remedio ex capite laesionis, adeo ut in re dispositio vel ratio praesertim in l. 2. non distinguendo speciem laesionis, an sit enormis vel enormissima, valeat quando unam, vel alteram speciem redoleat, plerique negativam simpliciter tenentibus, quasi quod iudicialis auctoritas omnem fanet defectum; Alii vero contrarium tenentibus opinionem affirmativam, & aliis distinguentibus sed conciliantibus, an venditio ad hastam publicam fiat voluntarie pro ipsomet Dominum, vel potius eo invito fiat per Iudicem ex officio, ut patet ex relatis per Cagnol. d. l. 2. n. 157. & seqq. Gabr. de empt. & vendit. concl. n. 61. & seq. Anna alleg. 43. n. 6. & seq. Surd. conf. 39. n. 4.

In isto itaque conspectu, Rota sequitur opinionem affirmativam sive distinguentem ut supra, quod scilicet etiam in casu in quo fiat cum auctoritate Iudicis, attendatur laesio, ut praesertim apud Cavaler. dec. 187. & 358. ex quibus patet quod cum dictis auctoritatibus proceditur, dictaque deciditur questio, ex qua manet aequivocum, quoniam aliud est agere an rescissio ex capite laesionis ad terminos dicti text. in l. 2. intret, nec ne in genere, sive in abstracto; Et aliud est an posita affirmativa debeat laesio praesertim regulari iuxta dispositionem ejusdem textus, qui percipit terminos voluntariae, & conventionalis venditionis, ac propterea decisiones, & auctoritates percipientes dictam questionem generalem super substantia huius remedii in genere, ponendae sunt ad partes, & non aequo adaptantur ad alteram diversam questionem super qualitate vel quantitate excessus in hac iudiciali venditione, cum termini sint diversi, diverseque fit ratio.

Quatenus itaque pertinet ad istam questionem particularem, quamvis opinio pragmaticorum sit, ut id firmatum fuerit ab antiquo tempore coram Seraph. d. dec. 1478. At tamen, ut ejus lectura probat id obiter articulo non examinato absque aliqua auctoritate, vel ratione, dicitur, ideoque deficiente nomen in hac parte non mereatur ex infirmitate disc. 35. de iud. n. 77. & disc. 32. n. 80. in rel. Cur.

Deinde vero id positivè dictum fuit de anno 1614. in Spolejana coram Pamphilio, qui postmodum fuit Pontifex Innoc. X. dec. 648. part. 1. rec. n. 3. cum qua simpliciter pro moderno pragmatico usu, una decisione alteram insequente, proceditur in aliis, & praesertim dec. 53. n. 1. apud Posth. de subhast. dec. 12. n. fin. part. 12. recent. & dicta dec. 270. n. 14. part. 14. & in aliis.

Sed pariter dignoscitur aequivocum dicti primae dec. 548. part. 1. a qua reverè alia pendet, quoniam ut ex ea patet, proceditur cum praemissis, & aliis auctoritatibus percipientibus

12 tibus dictam proutem diversam questionem, ita capiendū quid pro quo, ideoque posterioribus decisionibus recte congruere videntur ea que circa numerum Doctorum habentur eodem *disc. 35. de iudic.* adhibendo exemplum testium deponentium de auditu originato ab uno, qui detegatur mendax, vel male informatus ut eorum nullatenus curato numero, quamvis esse millenarius, nulla fide digni sint, nullamque faciant probationem.

13 E converso dicebam quod examinando punctum tam per auctoritates, quam per rationes, altera opinio, ut sufficiat sexta omnino verior censenda sit.

Attentis etenim auctoritatibus, id bene, ac explicitē firmat loquendo de venditione facta per Arbitrum, *Bart. in l. ff. societatem, §. arbitraria n. 25. ff. pro soc.* quem omnes in hac propositione agnoscunt in magistrum, eumque sequuntur *Castr. Alex. Curt. & alii* relati per *Franch. d. dec. 224. n. 2.* & bene advertit *Aponte ubi supra*, ac sequuntur alii relati in *d. dec. 609. Bich. n. 6.* quamvis plures ex eis, ut sunt præsertim *Mangil. & Poffh.* & similes non mereantur numerari, tamquam collectores, qui pro eorum stylo non examinando punctum, neque ejus difficultatem gustando, sunt simplices relatores, atque de facili confundunt triticum cum palea unde tot æquivoca, & confusiones manant; Ac propterea faciendū auctoritatum combinationem, ad evidentiā patet, quod illæ huic assistant opinioni.

14 Clarius verò eadem opinioni assistunt rationes, quoniam licet vera sit propositio, in qua præsertim potissimum constituitur fundamentum in supradictis Rotæ decisionibus, & præcipue *d. dec. 270. p. 14. rec. n. 15.* quod factum Judicis reputatur factum partis; Attamen istud dicitur factum gestum à Judice tanquam à legali, & necessario procuratore seu administratore debitoris ad effectum evictionis, alioquin effectus eodem modo quo si fiat ab Arbitratore, cui assimilandus est, & de quo loquitur *Bar. ubi supra.*

Magna etiam dignoscitur differentia inter ipsum principalem venditorem, & ejus legalem necessarium administratorem, ex pluribus; Primo nempe quia principalis venditor præsertim informatus, unde vendendo minus justo pretio sibi impuret, cur se circumveniri passus est ab emptore; Secundo quia habet liberam suorum bonorum administrationem, & dispositionem, ideoque potest donare, vel remittere in totum, & multo magis in parte, quod in Judice tanquam legali administratore, & qui à lege supponitur bonus & prudens vir, non est verificabile; Et tertio quia sæpe contingit quod ob aliquam urgentem necessitatem, & congruentiam expedit vendere minus justo pretio etiam scierit, cum sæpius plus valeant decem hodie quam centum cras; & etiam potest quis sciens, & volens vendere minus ad captandam gratiam, vel benevolentiam emptoris, vel ad alium finem, quæ omnia cessant in Judice; Et præcipue cessat ratio seu motivum necessitatis vel imminetis urgentiæ, dum per legem provisum est, quod non reperto justo oblatore bona adjudicentur ipsis creditoribus pro justo pretio ad æstimationem, ex qua de magis communi rationabili quidem, & commendabili præxi detrahitur ista sexta.

Fortius verò in nostris modernis temporibus, & post introductam pariter nimium rationabilem, & commendatione dignam præxim de qua *disc. 53. & seqq. de credit. & eodem disc. 40. de iudic.* & plures *bul. de feud. ad materiam bulle Baronum*, & alibi, ut creditores quibus liberandum est pretium caveant de restituendo in casu evictionis, & molestiarum, dum ita cessat illa ratio deficientis cautelæ evictionis, ob quam valor nimium diminui solet ut etiam ponderatur *d. disc. 40. de iudic.*

In idem quoque conferuntur ea, quæ apud *Cagnol. d. l. 2. n. 166.* & alios habentur circa differentiam, quæ constituitur inter Procuratorem, vel alium voluntarium administratorem Venditoris & administratorem legalem necessarium; Ut scilicet priori casu requiratur eadem lesio enormis ultra dimidiam perinde ac si ab ipso principali venditio facta sit, vel quia præsumendum sit procurator à principali instructus, vel quia sibi imputandum est cur minus providum, minusque diligenter præferret illi administrationi quam per se ipsū facere poterat; Ac etiam ob aliam vorem libertatis commercii, quod frequenter per mandatarios, & responsales seu ministros exerceatur, & sub cujus voluntarii administratoris genere venit etiam creditor, qui ex facultate sibi per venditorem attributa vendat pignus; Secus autem ubi agatur de tutore, vel Curatore, vel œconomico piorum locorum & simili legali administratore, qualis dicendus est Judex, cujus factū

(ut præmissum est) reputatur quidem Partis, cujus nomine, ac vice actus geritur ad effectum obligationis evictionis, ac translationis domini, alioquin similes, effectus, non autem ut facultatem habeat donandi vel profundendi, quod non est suum, dum ut advenit *disc. 44. de iud.* & alibi occasione agendi de remedio possessorio reintegranda, vel retentione competente adversus factum Judicis nullum, vel valde injustum, quando Judex non bene suas explet partes, dicitur potius prædo, & spoliator; Ideoque merito ista videtur ineptia generaliter, & indefinitè intelligendi, & practicandi dictam propositionem, quod factum Judicis reputetur factum Partis, cum sit quidem vera, sed discretè intelligenda in suis casibus, & effectibus respectivè.

15 Procedunt hæc, etiam ubi adversus tertium licitatorem hoc rescisivum remedium ex capite lesionis intentetur, multo verò magis, atque cum longè minori dubitandi ratione, quando (ut in præsentī) est licitator idem creditor, ad cujus instantiam fiat subhastaio, quoniam licet, ut advenit *d. disc. 40. de iud.* & alibi, & præsertim *disc. 32. de credito*, occasione agendi de jure offerendi non prohibeatur creditor publicè & palam licitari per se ipsum, vel per substitutum, ne alias sit deterioris conditionis quocumque extraneo, cum dispositio textus *in l. et qui sub imagine C. de distract. pignor.* procedat in illa subhastatione, quam faciat ipse creditor; Nihilominus adhuc notabilis differentia dignoscitur inter ipsum, & tertium, quia dici valet oblator quodammodo necessarius, ob necessitatem cui subjacet recipiendū adjudicationem ut supra, quatenus justus non reperitur oblator.

Atque hinc rationabiliter quidem inter istum casum, in quo ipse creditor licitetur; Et alterum in quo sit tertius licitator, constituitur differentia per *Ror. apud Rojas d. 284. Super* conclusione de qua apud *Franch. dec. 120. & alios*, quod si subhastaio, quæ ex actus valida fit, detegatur injusta, non competat illi, qui cum passus est actio contra tertium licitatorem, sed solum contra ipsum creditorem ad restitutionem accepti pretii, quatenus non sit in dolo, quo accedent etiam ad damna, & interesse, fecus autem si ipse sit licitator; Ut etiam hanc differentiam inter tertium, & ipsummet creditorem in venditione pignoris conventionalis considerant Doctores, & præsertim *Cagnol. d. l. 2. n. 211.*

Istaque conclusio ponderanda quoque, venit pro una ex rationibus, ob quas omnino verior censenda est dicta opinio, ut sufficiat sexta, quoniam in casu in quo detegatur circa doli creditoris indebitum, ad aliud creditor non tenebitur nisi ad restitutionem accepti, quod potest esse modicum, si permittatur lesio infra dimidium, cum plerique alii effectibus prejudicialibus; Ac propterea liquet quod vice attendatur auctoritates five rationes ista opinio omnino probabilior censenda est, quodque altera nullum habeat, nec rationis, nec auctoritatis fomentum, sed derivet ab æquivocā, & erroneo principio capiendi quid pro quo.

Atque hinc semper magis, ac magis monemur, quomā magnus, ac evidens error sit procedere cum auctoritatibus ad literam, & in sola earum fide absque discursu vel ratiocinio, indagando earum principium, ac rationem pro congrua applicatione, cum ita de facili incidatur in æquivoca, ut latius advenit *disc. 35. de iudic. & alibi.*

16 Quamvis autem ex præmissis de facili cum arithmetica proportione ut supra, in hac specie judicialis venditionis admittenda veniat lesio enormissima pro irritatione actus ad alios effectus exinde resultantis; Attamen ut advenit *ead. disc. 40. de iudic.* ac etiam *disc. præc. non de facili* admittendus est ille effectus, qui tali casu tribuitur huic lesioni, restitutionis nempe fructuum ab initio ratione malæ fidei, quoties illa præsumptio quæ à lege manat, aliud non habeat fomentum facti factum illicitum, cum ita possessor hujusmodi legalium substitutum ignarus veritatis poterit in bona fide; Ac etiam quia inprobabile videtur, ut interim ille, qui subhastationem passus est, obtineat istam favorabilem sequelam domini pro curi, & perceptione fructuum, atque non subiacet alteri sequelæ odiosæ, & præjudiciali periculū, vel diminutionis interim contingentis, ac propterea ad aptatur eadem ratio claudicationis, & inaequalitatis de qua supra *disc. 32.* & in aliis, quoniam si res periret, vel notabilem pareret diminutionem ille, qui subhastationem passus est non motivaret, neque licitator aliquam contra ipsum haberet actionem, ideoque justum non est ut commodum fructuum & augmenti interim debere debebat, præterquam in odium doli, & sic ubi adit mala fides vera, adobut non concurrat solum doli præsumptus à lege, sed juris præsumptio aliud habeat

habeat quoque facti fomentum, istaque pariter est unus de erroribus procedentium cum solis generalitatibus, & in litera absque discursu vel ratiocinio.

21 Fortius verò ubi est converso alia accedat bonæ fidei argumenta, five adminicula, inter quæ ad rem considerabilem videtur illud, in quo ut supra, magnum penecque totum constitutum est fundamentum oblationis factæ per totum circumstantia, sola & de per se sufficiat, quando ex sola absque dolo, & mala fide emptoris, & possessoris, cum sæpius esse possit affectata cautela, quam offerens sciat ob suffocationem, ac malum statum debitoris esse inanem, unde merito in casu de quo agunt superius

allegatæ *dec. 112. p. 10. rec.* post melius justificatam læsionem cum circumstantiis dolum verum redolentibus ista obligatione neglecta à prædictis decisionibus 15. Decembris 1670. coram Albergato recessum fuit, sed bene est vehementis, & considerabile bonæ fidei argumentum, five adminiculum exclusivum illius malæ præsumptionis, quam lex ex læsione in pretio deducit.

Ac propterea concludendum est, ut ex singulorum casuum particularibus circumstantiis, nō autem ex generalibus propositionibus, vel ex auctoritatibus, & decisionibus, quæ diversos percutiant casus, & sic potius ex facto quā ex jure decisio pendeat, ista materia regulari debeat, atque ad hunc effectum intret differentia inter principalem, & tertium.

S U M M A S I V E C O M P E N D I U M

Eorum, quæ continentur in hoc titulo de Emptione, & Venditione.

S U M M A R I U M.

- 1 **C**ontractus emptionis, & venditionis est frequens, & de jure gentium.
- 2 Distinguitur à permutatione, quæ continet contractum divinum.
- 3 In foro est materia angusta.
- 4 De tribus essentialibus requisitis emptionis, & venditionis.
- 5 Eadem desiderantur in datione in solutum.
- 6 De questionibus circa defectum potestatis vendendi ob inhabilitatem resultantem à natura, vel à lege.
- 7 De promissione de vendendo, an importet venditionem, & quid importet.
- 8 De aliis questionibus cadentibus super requisita consensus.
- 9 Requiritur, ut sit res certa, & quando etiam incerta cadat sub isto contractu.
- 10 De rebus, quæ non sint in libero commercio, atque in istum contractum non deducuntur.
- 11 Quid in istis bonis importet conventio Partium, & an imret pœnitentia.
- 12 Secunda emptioni habens solemnitatem necessariam prævalet prima.
- 13 Debitor, qui bona hypothecavit, non prohibetur ea vendere.
- 14 Possunt etiam vendi bona posita sub pignore prætorio.
- 15 Impotio servitutis non prohibet potestatem vendendi.
- 16 Quid de vitio litigios.
- 17 Etiam res aliena vendi potest, & quomodo.
- 18 Pretium debet esse certum, & in quantitate, pro qua species dari potest.
- 19 Quando incertitudo pretii obstat, necnè perfectioni contractus venditionis.
- 20 Data perfectione periculum, & commodum, ac fructus sunt emptoris, & ad quid requiratur traditio.
- 21 In iis quæ consistunt in pondere, numero, vel mensura, periculum est venditoris, donec sequatur traditio, seu actus numerationis.
- 22 Quando etiam his casibus sit etiam emptoris.
- 23 Lesio enormis causat rescissionem contractus interim validi.
- 24 Enormissima verò nullitatem.
- 25 De differentiis inter unam, & alteram speciem lesionis, & de effectibus exinde resultantibus.
- 26 Quando dicitur enormis, vel enormissima.
- 27 An circæ enormem aliqua sit differentia inter emptorem & venditorem.
- 28 Pœnitentia de pretio, præsertim illud redimendi, vel minor cautela.
- 29 De privilegiatis, in quibus lesio sufficit in sexta parte.

- 30 Quid in venditione sub hasta.
- 31 Evictio inest contractui, ac debetur, quamvis non promissa, & quando præstanda non sit.
- 32 Quando evictio ex natura rei, vel ob juris alieni scientiam præstanda non est, adhuc debet præstari ob factum culpæ venditoris.
- 33 Etiam in casu quo præstanda non sit, intrat obligatio ad restitutionem pretii, & quid differat evictio à restitutione pretii.
- 34 De evictione præstanda, ubi vendatur hereditas, vel feudum, seu alia universitas.
- 35 Quid censetur deductum in contractum, an tota res, vel ejus pars, & quæ onera &c.
- 36 De actione quanti minoris, vel quanti majoris.
- 37 Si evincatur res in parte, seu diversæ qualitatis detegatur, an contractus resolvatur &c.
- 38 De actione redditoria.
- 39 An imminente evictione emptor neget solutionem pretii.
- 40 Evictionis actio non competit, nisi sequatur per abdicationem domini, non autem in Salviano, vel possessorio.
- 41 Neque ei, qui litem non denunciavit, nisi iustitia evictionis sit clara.
- 42 Si venditor rem evictam recuperat, an emptor eam recipere teneatur.
- 43 Emptor potest evictionem prævenire per transactionem, & venditionem teneatur supplere.
- 44 Sed ad id non tenetur.
- 45 Dominus vindicat rem suam ab eo, qui emittit à non domino non restituit pretio.
- 46 Quid ubi quis à non domino redimat, ut domino rem gratam faciat.
- 47 An emens in emporiis publicis, vel mundanis, & portibus sint tuti.
- 48 Emens subhasta rem alienam non redditur tutus à domino, quamvis redderetur tutus à creditoribus.
- 49 De securitate ementium bona defuncti ab herede beneficiato, quæ non procedat.
- 50 De ementibus ab hostibus, & aliis qui jure belli bona occuparunt.
- 51 Si emens subhasta est tutus à jure offerendi, & quid de ipsomet creditore emente.
- 52 Emens à debitore subjacet juri offerendi, quod competit posterio ribus.
- 53 Quando emens subhasta ad instantiam creditorum posteriorum reddatur tutus ab hypothecis anteriorum.
- 54 Creditores consentientes venditioni, vel eam approbant, non possunt molestare emptorem.
- 55 De securitate ementium in vim bulle Baronum.